

1787.

1. *
Hellermannius: Anotated X ex adversariis juris
judicarii. Programma, quo ordinarius senior ceteris.
que assessores fac. jur. memoriam Hellermannianam
indicunt.
2. *
Bornius: Anotated XI ex adversariis juris judi-
carii. Programma, quo ordinarius ceterisque ass.
sors fac. jur. memoriam Bornianam indicunt.
3. *
Lass, Jo. Adolphus, S. R. J. Comes, de: Collationem
juris Criminalis XXII. Programma, quo ordinarius
senior ceterisque assessores fac. jur. solennia
Doctoralia Jo. Adolphi, Comitis de Lass. . . tes-
tantur
4. *
Sylverstein et Pilnickas, Rudolphus Ferdinandus,
l. b. de: (Paracensis ad studiosos: Studii littera-
rum cum assiduitate tractanda esse). Program-
ma, quo hinc facult. seniores et ass. memoriam
anniversariam Rudolphi Ferdinandi l. b. de Sylver-
stein et Pilnickas indicunt.

1787.

5. Baucus, Hermann Goldst. : Commentationes ad XII
priora capitula h. t. de r. j.
6. Pienerus, Christ. Godefr. : De hierarchia concurren-
tium in imperio Romano Germanico reformanda.
7. Pienerus, Christ. Godefr. : De senata mercatorum
in ripis fluminum navigantium Teippach
sive Troedel vulgo appellata.
8. Falke, Conrad Theoph. : De cessione hypothecae
fundalis atque domini directi concursu jure
Saxoniae invalida.
9. Erhardus, Christianus Daniel : De sponsibus
juris gentium. Prolegomena, orationi auspicali
praemissa.
10. Hommel, Rudolphus : An et de pueris Romanorum
Criminalibus jure Justiniano obvia philo-
sophice statuendum sit?
11. Keiserus, Meatus Fridericus : De tutela Illustri

1787.

12. Kindius, Fr. Adam Theophilus: Num in successio-
ne in partem commune coinvestiti compresso.
res simultanee investitis potiores sint?
13. Kindius, Fr. Adam Theophilus: De originibus leude-
rationis ac specialim uberlenterabouis Saxoniæ ac.
14. Paellmannus, Fr. Lud. Em. fac. jur. procan-
cellarius: (De mortis causa donatione absente
licet et ignorante donataris facta, \neq jure valida).
Programma, quo sollemnia inauguralia Joani Augusti
Beckii indicit.
15. Paellmannus, Fr. Lud. Em. fac. jur. procancelle-
rius: (De poenis exemplaribus). Programma, quo
sollemnia inauguralia Fr. Ferd. Theodori Rullii
indicit.
16. Paellmannus, Fr. Lud. Em. fac. jur. procancelle-
rius: (De delatoribus præmiis laudæ excitandis). Programma,
quo sollemnia inauguralia Fridrici Traugott Beckii
indicit.

7787.

17. Ran, Christianus, fac. jur. procancellarius :
(Ordo equester apud Romanos, quo tempore ortus
est ejusmodi, qui interjectus quasi et medius
inter senatum et plebem esset?) Programmata,
quo solemnia inauguralia Caroli Friderici Carl
indicta.
18. Ran, Christianus : De appropriatione feudorum
sine consensu successoris in dominium directum
nonnunquam insatida.
19. Richterius, Christ. Gell : Specimen animadversio-
num de scriptoribus juris Attici ad Fr. Albert.
Fabricii bibliothecam Graecam.
20. Rörzig, Anton Gellat : De jure alyi legatarum
secundum jus gentium absolutum dubio.
21. Rolke, Johannes Fridericus Theodorus : De rescriptis
mandatione ab imperatore sine statum impe-
rii consensu ad jura Camerae datis vi
et efficacia deservitis.

1787.

22. Rolfe, Iohannes Fridericus Theodorus: De auctoritatibus magistratuum Romanorum.
23. Winckler, Carolus Godspem: (De officio iudicis deprehensionis) Programm, quo solenniter doctoralia Curiae Theophili Dabbe indicit..
24. Winckler, Carol. Godspem, de: De fundi in pecunia constituti pecuniae et quanti feudalis in creditorum conflictu habenda ratione secundum jus Electorale Saxonicum.

W.



14908

1787. 3.

1787

ORDINARIUS

SENIOR CETERIQUE ASSESSORES

FACULTATIS IURIDICAE

LIPSIENSIS


LAUDABILITER SUPERATUM EXAMEN

ILLVSTRISSIMI DOMINI

IO. ADOLPHI, S. R. I. COMITIS

DE LOSS

PUBLICE TESTANTUR



IN EST

COROLLARIUM IURIS CRIMINALIS

VICESIMUM SECUNDUM



ORDINARIUS

SENIOR CETERIQUE ASSASSORES

FAVORATIS IUDICIALI

PROCURATOR

FAVORABILITER SUPERATUM EXAMEN

ILLIUS IUDICII DOMINUS

IO. ADORPHUS J. R. I. COMITIS

D. D. 1802

PAULUS TESTAMENTUM

IN EST

CONSTITUTIONE IURIS CRIMINALIS

VICISSIMAM SECUNDUM



COROLLARIUM IVRIS CRIMINALIS
VICESIMVM SECVNDVM

De executione poenae repraesentatiua

Si, poenam vere exsequi, vt per se intelligitur, nihil aliud esse potest, quam eam ita exsequi, vt reus sentiat se puniri, poena repraesentatiua, quam alias etiam executionem in effigie vocare solent, imaginariam quoque dicere posses, est, quando in executione poenae delinquenti quicquam substituitur, quod non deliquit, nec delinquere potuit, in quo tamen iudex aliquid faciat, quod similitudinem poenae habeat, verum ipsa natura atque essentia poenarum, nempe: vt malum aliquod is patiat, qui ipsam meruit; destituatur.

De eiusmodi poenae executione repraesentatiua aliquid in vniuersum in legibus sancitum non inuenies, at nihilominus vbique fere recepta reperitur, I. IOD. BECK *de iurisdic. super. c. 15. §. 1. id.* quod primum in Gallia factum esse dicunt, ARN. WICHT *diff. de executione in effigie §. 4.* Sunt quidem, qui eius rei originem in historia Rom. sibi reperire visi sunt, vbi saepenumero statucae olim in honorem positae, vel imagines quondam in gloriae memoriam suspensae, in odium sceleratorum ac damnandae memoriae causa deiectae, per urbem tractae ac dilaceratae, atque adeo interdum luto conspurcatae, abiectaeque leguntur. Id quod factum esse ab irato populo Verri, nec non Imperatori Commodo, ac Domitiano, item Pisoni

venefico, CICERO *orat. in Verrem II.* DIO CASSIUS *L. 73.* SVETONIVS *vita Domitiani c. 23.* et *Neronis c. 24.* TACITVS *Annal. L. 3. c. 14.* et *LAMPRIDIUS vita Eliogab. c. 12.* enarrant, cf. TACITVS *hist. L. III. c. 85.* cuius opinionis prae ceteris et dominatus WICHTIVS est *l. c.* et I. F. GERHARDVS in *diff.* quam sub cel. GE. AD. STRVVII praefidio *de exsecutione in effigie* habuit. At vero cum haec non tam consilio, quam subito ad testificandam iram ac odium ostendendum, facta fuerint, non possunt pro exemplis nostrae executionis venditari. Nec desunt quidem leges, quibus haec statuarum deiectione tanquam poenae pars dicitur. Sic MODESTINVS *l. 24. D. de poenis: Eorum, inquit, qui relegati vel deportati sunt ex causa maiestatis, statuas detrahendas esse, scire debemus;* ac pari modo Imp. ARCADIVS *l. 17. C. Th. eod.* inter reliquas poenas Eutropio, olim praeposito sacri cubiculi, dicitas, etiam hanc refert, *vt omnes statuae ac omnia simulacra, tam ex aere, quam ex marmore, et ex quacunque materia, ab omnibus ciuitatibus, oppidis locisque priuatis ac publicis aboleri debeant;* quale exemplum etiam occurrit in deiectione statuis Liuiae iussu magistratus apud TACITVM *L. VI. Annal. c. 2.* Verum in ista lege ea tantum enumerantur, quae fieri debebant ad damnandam memoriam, qua animaduersione Eutropius dignus iudicatus fuerat, non autem id, quod Eutropio ipsi accidere debebat, ad eius statuas exsequi iubetur, nec substituuntur haec illius personae.

Ceterum hic executionis modus, de quo nos agimus, parum abest, quin omnino e republica tollendus videatur, siue eum duritiae accuses, quoniam nec iure naturali, nec canonico

nico

nico, c. 3. qu. 9. nec Romano l. 1. D. de requ. rebs, absentem et inauditum condemnare punireque liceat, siue illum plane inanem, ne dicam ridiculum appelles, quia videas criminis reum promeritae poenae doloribus subtrahi, rem inanimatam, quae nihil nec audit nec sentit, puniri. Tacemus, omnium poenarum executionem secundum regulam ei, in quem animadvertitur, prius indicendam esse, quod imagini vel statuae fieri nequeat. Sed salua res est. Nam primum attendamus ad consilium et finem omnium poenarum, qui ex opinione recte sentientium non solum eo continetur, vt facinorosus aliquid mali sentiat pro eo, quod peccando rempublicam et ciues suos turbauit, sed etiam praepimis, vt exemplo sint reliquis, qui a similibus sceleribus deterreantur, id quod optime iam GROTIUS docuit de I. B. ac P. lib. 2. c. 20. et inter recentiores praesertim GELIN über Verbrechen und Strafen, §. 24. nec non WIELAND Geist d. peinl. Ges. §. 296. sq. cf. l. 6. §. penult. et l. 28. §. 15. D. de poen. Iam SENECA de clementia c. 16. dixit: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*, quod confirmat Imperator, dum l. 1. C. ad L. Iul. repet. vnus poenam esse debere metum multorum, nec non QVINTILIANVS de orat. c. 2. dum, omnem poenam non tam ad delictum pertinere, quam ad exemplum, aiunt. Quid igitur consultius et consilio poenarum accomodatius dici potest, quam, si poena ab ipsis facinorosis sumi nequeat, sic saltim agere, vt publice patefiat, magistratum non condonasse delictum, et ostendere, qua poena, nisi impedimentum oblit, cum hic delinquens, tum alii similiter peccantes certo certius punitum sint ituri.

Deinde negari non potest, esse aliquod genus poenarum, quod nec corpus, nec bona, sed famam afficit, generosis hominibus saepe quouis supplicio intolerabilius, nec profecto a nobis impetrare possumus, ut cum BECCARIA et aliis omnem a poenis infamiam discernendam putemus; saltem ea ratio nullo modo sufficit, multos esse in republica, qui nullo honoris periculo a flagitiis arceantur. Sane solum militiae exemplum vnumquemque docere potest, in singulis fere rebus publicis existimationis periculo multum ad restringenda delicta efficaciae tribui; cf. G. H. MYLI *diff. de poenis militum famos.* et *nostrum Coroll. iur. crim. XVIII. p. 13.* Habes igitur nouam causam et finem executionis repraesentatiuae, ut simul poena sit facinoris commissi, nempe talis, qualis pro rei conditione delinquenti inferri potest. Quis enim ex eo, quod diximus, dubitet, reum, quando non ad omnem honoris sensum obduratus est, haud dolere, nec secum male actum credere, si audiat, se inter facinorosos, pessimosque ciues, supplicium commerentes, publice omnibus videntibus, nec sine solennitate numerari? Quod vero auctores iurisprudentiae criminalis de indictione executionis puniendo prius facienda afferunt, id per se patet, nonnisi de praesente reo, non de fugitio intelligi posse. Accedunt alia quaedam huius executionis commoda, quod scilicet non solum praescriptionem criminis tollat, vident *l. c. §. 8.* cum qui iudex in absentem quoque procedit, is ei crimen tacite condonare haud videatur; sed etiam, quod magistratus hoc modo potestatem suam puniendi confirmare, et hanc quoque a praescriptione vindicare possit.

Ista

Ista igitur, de qua dicimus, repraesentatiua executio bifariam suscipi solet, *primo* in effigie picta plerumque, aut alio modo efformata, quae reum repraesentare debeat; *secundo*, quando executio non in efformata effigie, verum in tabella, cui solum nomen delinquentis inscriptum est, peragitur, quamuis superiori bello septennali ex simili causa non nomina solum, sed ipsas imagines militum ex superioribus ordinibus, qui castra deseruisse dicebantur, suspensas fuisse recordamur, ac simile exemplum narrat I. H. BOEHMER *consult. for. to. 3. p. 3. conf. 880.* qui vterque modus absente ac fugituo reo obtinet. Ab hac igitur executione in effigie vel nomine differt executio in corpora mortua; siue haec fiat ex sententia post capitis supplicium a facinoroso sumtum, tanquam aliquod additamentum poenae, siue in corpore eius, qui non expectato supplicio mortem voluntariam sibi prope-rasset, exerceatur; *cf. libell. nostrum de morte voluntaria;* vbi corpus delinquentis non repraesentatur, sed ipsum adest quamuis mortuum et exanimatum, et id, quod in eo fit, potius pars est poenae aut ipsa poena, quam viuis meruerat, non sola executio; vnde reprehendendi sunt et WICHTIVS et GERARDVS *l. l. c. c.* qui eo referunt. Differt etiam ab erectione statuarum ignominiosarum, *der Schandsaelen*, quae nonnisi documenta sunt perpetratorem flagitiorum, non ipsa executio.

Quod vero ipsa delicta attinet, in quibus ista executio cernitur, ante omnia tenendum, eam non in omnibus delictis locum habere, sed in atrocioribus tantum, WICHT *l. c. §.*

12. DE BOEHMER *elem. iurispr. crim. §. 323.* ENGAV *elem. iur.*

-cup

crim.

crim. §. 42. quod quamvis ab interpretibus temere fere et absque argumentis sumatur, tamen quoniam, ut vidimus, tota ea res non tam legibus quam prudentum opinionibus regitur, non abs re erit, id eo consilio approbare, ne eiusmodi executio tanquam extraordinaria iusto crebrior fiat, nec res derisui detur, forte delinquentis effigie carceri inclusa, vel pueri virgindemia caesa, cf. FROMMANN. *l. c.* §. 19. et DE BOEHMER *l. c.* §. 324. *nota.* Alii tamen in solis capitalibus admittunt, sed et hi absque causae allegatione I. I. BECK *de iurisd. super. c.* 15. *obs.* 1. MENCKEN. *system. Pand. L.* 48. *tit.* 19. §. 15. FROMMANN *diff. de execut. in effigie th.* 19. alii in solo crimine laesae maiestatis I. F. DE BOEHMER *l. c.* §. 323. At nobis arbitrium iudicis non adeo coarctandum esse videtur, ut non hic executionis modus in eiusmodi atrocioribus delictis, quotiescunque reipublicae conducere videatur, siue tempus ac locus exigat, dictari possit, modo ita fiat, ut quemadmodum iam diximus, non absque publici exempli commodo decernatur.

At nihilominus nominantur a Ictis inprimis tria crimina, in quibus praesertim executioni imaginariae locus sit, scilicet tum crimen laesae maiestatis humanae seu perduellionis, tum blasphemia, nec non haeresis, quam utramque postremam olim crimen laesae maiestatis diuinae appellabant; GRANZ. *defens. inqu. c.* 5. *membra.* 2. *sect.* 3. *art.* 1. *n.* 50. GERARDVS *l. c.* *cap.* 4. *sq.* WICHTIVS *l. c.* *c.* 13. *sq.* BECK *l. c.* *obs.* 2. Addunt alii delictum sodomiae, GOMESIVS *Var. Resol. c.* 1. *no.* 26. DE BOEHMER *l. c.* §. 323. Et quod ad crimina quidem maiestatis attinet, non sola atrocitas in ratione est, sed solent in primis hanc allegare, quo-

quoniam rei huius facinoris etiam absentes condemnari possunt, ac memoria pro damnata haberi §. 5. *I. de his, quae ab intest. def. l. vlt. C. ad L. Iul. maiest. l. 20. D. de accus. §. 3. I. de iud. publ.* id, quod pontificii quoque ad crimen laesae maiestatis diuinae vtroque sensu dilatarunt, WICHT *l.c.* §. 15. GOMESIVS *c. l. no. 79.* quod in aliis delictis haud inuenies, vbi reus nonnisi praefens condemnari debet. Cum igitur in his tribus delictis ex doctrina doctorum vel ciuilium vel pontificiorum ista regula ob eminentiam criminis cessare dicatur, inde concludunt, posse hic publicata aduersus absentem sententia, ab eiusdem effigie ipsam poenam sumi. Eiusmodi exemplum olim ab haeretici effigie sumtum narrat nominatus GERARDVS *l.c. cap. 4. §. 3.* quod tamen hodierno more locum non inuenturum foret, quo ex recte iudicantium sententia haeresis, quatenus errore animi circa religionis praecepta fundatur, nec confessionem alienae religionis etfi pro falsa agnitae complectitur, delictum haud esse creditur. Quid? quod ista iuris ciuilis regula de non condemnando absente, saepius, aut potius auctore GALLIO *de pace publ. l. 2. c. 5. no. 10.* tunc semper fallit, quando cognitio seruato iuris ordine instituitur, et reus legitimis probationibus, inter quas etiam est praesumptio ex contumacia profluens, conuictus putatur. Saltem negari non potest, iure quoque ciuili capitaliter contra absentem pronounciari posse, id quod patet ex *l. 4. §. 2. D. ad L. Corn. de fcar.*

Praeter ista crimina superius enumerata, sunt etiam hodierno iure quaedam crimina, in quibus, vt poena ab absente

B

repraee-

repraesentatiua sumatur, legibus diserte praecipitur, quo inprimis referas tum desertionem militarem, tum certamina singularia, DE BOEHMER *l. c.* GERARDVS *l. c. cap. 7.* Sane fere in omnibus Saxonis legibus, quibus venia redeundi ac impunitas datur iis, qui cohortes deseruerunt, comminatio additur, si hac venia non utantur, ipsorum nomina scripta in tabulis patibulo affixum iri. Et quod ad certamina singularia attinet, similiter in lege Saxonica a. 1712. aduersus vindicias proprias lata §. 27. 28. 29. 38. et 41. et prouocantium solummodo ad certamen singulare usque dum redeant, et ipsorum dimicantium aufugientium nomina et imagines a carnifice in furca suspendi iubentur.

Ceterum hoc pro vero assumi potest, in duobus illis modis supra enumeratis repraesentatiuam executionem praecedere debere delinquentis non solum absentiam, verum etiam contumaciam, hoc est, absentiam haud excusatam; unde efficitur, eam sine legali procedendi modo, vel accusationis, GERARDVS *l. c. c. 3. §. 3. f. 7.* excitato forte aut constituto fiscali, vel inquisitionis dictari non posse. Ea absentia vero accidit aut ante condemnationem, scilicet reo vel mox post perpetratum delictum, vel saltem ante processum finitum aufugiente, aut demum post factam condemnationem, fuga ex timore poenae dictatae capta. Unde et duplex sententiarum criminalium in hac re genus, nempe vel lata quidem in praesentem reum siue confessum siue conuictum, at per captam fugam frustrata, quae executioni in effigie mandanda esse noua sententia praecipit solet, vel dictata, reo statim post perpetratum crimen fuga
sibi

sibi consulente, ab initio statim ipsi imagini aut nomini. Quod ad posterius attinet, hoc quotidie fieri videmus, tum in militibus desertoribus, vbi ipsa fuga crimen est, quando iudex militaris in eos, qui citati ad cohortes non redierunt, sic sententiam dicere solet, vt poenae loco eorum nomina patibulo affigenda decernat, tum vero etiam saepe numero extra militiam fieri solet, cuiusmodi illustre exemplum quondam in ipsa hac academia contigit, in qua, iurisdictionis superioris priuilegio praedita, necessarium erat, contra aliquem hominem, nomine *W.* qui alterum in certamine singulari occiderat, fugaque illico capta, absentem inquirendo agere, vbi anno huius seculi tricesimo tertio ab Ordine nostro sic pronunciatum est: *Als ew. magnif. und die herren uns königl. polnische und churfürstl. sächs. allergnädigste befehligte in original, angebrachte rüge, eingezogene erkundigung, abgefaste articul, vermittelst eydes abgehörter zeugen aussage, ergangene edictalcitationes, samt denen wider den auffengebliebenen F. G. W. ergangenen inquisitionswäcken zugeschicket etc. erachten: daß besugter W. nunmehr pro confesso et conuicto zu achten, derowegen nach anleitung des 41. §. des allergnädigsten mandats wider die selbststrache, wider ihn zu verfahren und sein bildniß mit beysetzung des nahmens und der ursache, daß er C. F. L. am 13. augusti 1733. im duell ermordet, an galgen öffentlich zu hängen.*

Supra diximus, executioni repraesentatiuae nonnisi in contumacem locum relinqui. Ex hoc necessario efficitur, praecedere debere consuetum modum procedendi, qui qualis

fit in caussa criminali contra contumacem reum late descripsimus in Corollario nostro XIV. quo ordine rite seruato reus pro confesso et conuicto habendus est, cf. IVL. CLARVS L. 5. *sent. §. fin. qu. 14. §. 4.* ac AEGID. BOSSIVS *pr. crim. tit. de requir. reis no. 2.* vnde in Actis modo allegatis sententiam condemnatoriam praecesserat alia huius tenoris: *Als ew. magnif. und die herren uns die wider F. G. W. ergangenen actia nebst einer frage zugeschicket, und unsere rechtsbelehrung darüber gebethen; daß nunmehr gedachter W. nach anleitung des 41sten Spli des allergnädigsten mandats wider die selbststrache edictaliter zur antwort auf articul, so zu dem ende abzufassen sub poena confessi et conuicti vorzuladen, worauf seinethalben ferner erget, was recht ist.*

Itaque reus ante omnia ad respondendum rite citandus est, quo demum facto, si non comparet, dictatur sententia aduersus imaginem eius vel tabellam ipsius nomine inscriptam. Huc pertinent verba allegatae contra singularia certamina legis §. 27. *der provocant soll - - gewöhnlicher maßen oder edictaliter, oder, da er eine militair-person, nach kriegsgebrauch citirt werden,* cf. §. 29. *sub finem et §. 30.* de qua posteriore citandi ratione non minus diximus *Corollar. nostr. XVII.* Cum autem omnis edictalis citatio rite peracta ex iuris praesumptione ad ipsum citatum peruenisse credatur, non dici potest, eum inauditum condemnari; quemadmodum, ne indefensus maneat, iudicis est, ei ex officio defensorem constituere.

Ipsa executio, vt iam vidimus, plerumque ita fit, vt vel lamina conficiatur, eique inscribatur delinquentis nomen, vel ipsa

ipſa facinoroſi effigies picta in lignea tabula ad humanam proceritatem extenſa, adſcriptoque nomine eius, quem repraeſentare debeat, ac breuiter enarrato crimine, conficiatur, quarum vtraque a carnifice in furca publice ac ſolenniter ſuſpenditur. Quae vt eo melius intelligantur, forte non male acturi ſumus, ſi modum a iudicio illo criminali ſupra memorato ſeruatum hic memoriae tradamus:

Registratura den 9. dec. 1735. Haben die herren deputati academiae benanntlich N. N. heute morgen in loco concilii ſich eingefunden, wie denn auch ich der actuarius, der registrator und der copiste, wie, ingleichen beyde pedelle zugegen waren. Nachdem nun der ſcharfrichter mit ſeinen knechten ſich parat hielten, auch die zur bedeckung des bildniſſes commandirten 12. mann vor dem eingang des concilii poſtirt ſtanden, ward das bild dem ſcharfrichter überantwortet, dieſer übergab ſolches ſeinem knechte zu tragen, welchen ſodann die commandirten 12. mann ſoldaten umringeten, und mit dem bilde zu der pforte des collegii paulini hinaus marchirten, beyde pedelle I. C. R. und I. G. Str. ritten mit bis zur ſeimſtädte, nachdem dieſelben vorher inſtruiert worden, daß St. wenn das bild vom ſcharfrichter zum aufhencken zugerichtet wäre, ſoſort herein ad locum concilii reiten, und ſolches denen herren deputirten melden, R. aber bis zu derer herren deputirten hinauskuſt an der ſeimſtädte verweilen ſollte, damit inzwiſchen von dem ſcharfrichter der execution halber nichts unternommen würde. Wie nun denen herren deputirten der pedell Str. bald hernach berichtete, daß von 50. mann ſoldaten der creyſe geſchloſſen und das bild zum aufhencken zugerichtet wäre, fuhren eingangs wohlernannte herren deputirte, nebst mir dem actuario hinaus zur ſeimſtädte und in den von denen

stadtoldaten gemachten creyß, stiegen wie auch ich der actuarius aus der kutsche heraus, und dem pedell R. ward anbefohlen, dem scharfrichter zu sagen, daß er nummehr die execution verrichten solle, worauf denn R. den scharfrichter also anredete: es läßt E. wohlhöbl. Universität anbefehlen, daß die execution an F. G. W. im bildniß vollstreckt werden solle. Hierauf verrichtete der scharfrichter die anbefohlene execution dergestalt, daß F. G. W. wegen von ihm den 13. aug. anno 1733. an C. F. L. verübten mordthat und darauf genommenen flucht in bildniß an den galgen gehencket worden. Als dieses vollbracht, trat der scharfrichter vor die herren deputirten und sagte: ich frage, ob die von E. wohlhöbl. Universität Leipzig mir anbefohlene execution zu recht verrichtet? worauf denn der erste deputatus im nahmen und von wegen E. löbl. Universität Leipzig antwortete: du hast gethan, was urthel und recht mit sich bracht. Als nun solches alles also ergangen, fuhren die herren deputati samt mir dem actuario wiederum herein ad locum concilii, und hat sich also solche execution geendet. M. C. E. actuar.

Varia alia similia exempla, quibus effigies sceleratorum, vel suspensae, vel concrematae sunt, tam extra, quam intra Germaniam, imprimis ex superiori seculo narrant tum GERARDVS *diff. cit. c. 3. §. 6.* tum WICHTIVS *l.c. §. 9.* nec non MENCEN. *system. Pand. L. 48. tit. 19. §. 15.* item GRANZIVS *de defens. inquis. c. 4. m. 2. sect. 2. art. 1.* Quid quod nuper in nouellis publicis legimus, Lutetiae Parisiorum praefidis cuiusdam collegii, qui vxorem trucidauerat, absentis effigiem, abscessa manu, rota contusam fuisse. Vnde nec adeo absonum videtur, si aliquando delinquentis statucae caput amputetur. Aliud vero dicendum de

de poenis leuioribus, quas in effigie exsequi eo minus suadendum existimamus, quo magis iam supra executionem nostram nonnisi atrocioribus criminibus attribuimus; nisi forte eiusmodi leuiuscula poena pars vel additamentum sit alius maioris, in atrox crimen constitutae; quo pertinere videntur verba saepe allegati Mandati circa certamina singularia, §. 30. *und soll sein bildniß von dem hencker nach proportion des verbrechens öffentlich schimpflich traßiret werden*, quibus verbis forte ad praecepta dicti Mandati §. 40. respicitur, quae certis sub conditionibus gladii ignominiosam fractionem, quae in conspectu delinquentis fieri solet, imponit. Idem accidere potest, quando in eodem delinquentis conspectu eius insignia frangenda sunt, quod interdum eo aufugiente in imaginis praesentia fieri solet, vt refert PHILIPPI *usu pract. inst. ad L. 4. t. 17. no. 80.* Interim quamuis et facile patet, et supra animaduertimus, valde ignominiosum esse, in absentis effigie ob scelus commissum executionem fieri, tamen BECKIO consentire dubitamus, qui *l. c. obs. 4. et 5.* putat, eiusmodi absentem ab vnoquoque impune occidi posse, et feudo priuari, cum procul dubio eum cum bannito, *der in die oberacht erkläret*, confundat.

Aliquanto difficilior videtur ea quaestio, vtrum absens, in cuius effigie executio facta, postquam rediit, ipse adhuc condigno supplicio vere afficiendus sit, an vero vnum per alterum absorbeat? Quamuis enim, vt recte Cel. KOCHVS *Inst. iur. crim. §. 97. a.* animaduertit, executio in effigie plerumque tantummodo suscipiatur, quando nulla amplius spes sit,
absen-

absentem recuperatum iri, tamen hoc subinde fieri posse, per se patet. Hoc igitur quando accidat, reus a verae poenae perpeffione non liberandus censetur. Etenim exsecutio repraesentatiua nonnisi subsidiaria est, nec per eam facinorosus satisfacit reipublicae, quamdiu non in corpore luit, et supplicium tale subit, quali ob flagitium commissum per leges afficiendus erat. Praesertim quando poena mortis dictata vel dictanda fuit, qui eam meruit, salua iustitia, viuis ciuibus interesse nequit, iudice a supplicio sumendo per absentiam rei haud prohibito. Rescindendum enim est membrum putridum reipublicae, si fieri potest, vt reliquum corpus sanetur; quam sententiam et WICHTIVS *l. c.* §. 26. tenet, nec non CEL. KOCHIVS *l. c.* §. 960. a. item summus S. F. DE BOEHMER *Elem. iur. crim.* §. 323. vbi tamen notandum, quod dicit, reduceem poenam absque nouo processu subire debere, id tantummodo de eo intelligendum esse, quando, vt ipse ait, reus post condemnationem demum aufugit. Etenim distinguendum est, vtrum praesens vere conuictus sit, vel confessus; an vero solummodo in eum absentem ita actum fuerit, vt propter contumaciam pro confesso et conuicto haberetur, quae fictio non eam efficaciam habet, vt ipse reus vltimo supplicio affici possit, quemadmodum ostensum est a S. F. DE BOEHMER *add. ad Carpz. pr. crim. P. III. obs.* 4. et a nobis Corollario XIV. quapropter in ea specie ambigi nequit, redintegranda esse inquisitionem seu accusationem, atque operam dandam, vt reus, delictum, eius veritate excussa, nisi conuinci possit, ipse confiteatur. Neque dubitandum, etiam in altero casu, si redux noua defensionis subsidia allegare posse profi-

profiteatur, eum ob defensionis beneficium adhuc audiendum ac denuo sententiam a dicasterio petendam esse; vnde, quam BECKIUS *l. c. obs.* 3. propugnat, sententia negatiua, de eo solum accipienda est, quando redux semel condemnatus, nihil novorum argumentorum habeat, quo se defendi posse credat.

Haec igitur scribenda videbantur, ne absque praefamine accederemus ad id, cui haec tota scriptio destinata est, laudem nempe COMITIS ILLUSTRISSIMI IOANNIS ADOLPHI DE LOSS, peracto in hac academia triennio. Solemus enim eiusmodi viros in summo natiuitatis loco positos per iustum elogium tum ipsos aliquo praemiolo ornare, tum alios ad paritatem diligentiae excitare. Qua tamen excitatione ne opus quidem erat in Nostro ad laudabiliter vitam transigendam, cum iam a patre natura inditum atque innatum haberet animum ad diligentiam ac studia procliuem, procreatus nempe ab eo, qui ipse Electoris sapientissimi prudens amicus omnibus virtutibus conspicuus. Huius igitur magni patris simulacrum intuens, nec non aui memoriam tenens, quo utroque partes reipublicae gubernante Saxonia saluam se sensit, addidit proprias animi atque ingenii dotes, capto certo consilio, in academia ita studiis incumbendi, vt diligentia, assiduitate discendique cupiditate reliquorum ciuium nemini cederet, permultos superaret. Ast audiamus eum ipsum, de vita sua differentem.

Natus sum Dresdae die XVI. Maii anno MDCCCLXVIII. patre IOANNE ADOLPHO S. R. I. COMITE DE LOSS, Electoris Saxoniae tum cubiculario nobili primi ordinis, nunc Administro et Status Rerum Domesticarum Secretario; matre AMALIA AVGVSTA e Gente COMITVM DE LOESER. Hi optimi parentes non solum vitam mihi dederunt, sed etiam quod ipsa vita maius duco, diligentissime curarunt, vt inde a prima pueritia mihi et ingenium ad scientiam et animus ad virtutem conformaretur. Vtinam tantos in vtraque progressus fecerim, qui iustam illis de me laetandi causam et materiam praebeant! Ex iis magistris, quorum disciplinae aliorum post alios mea pueritia commissa et concredita est, praecipue nominandus et grato animo praedicandus est FRIDERICVS RICHTERVS, iam Secretarius in Sanctiori Collegio rerum fiscalium, qui me studio indefesso in bonis litteris et artibus ad id vsque tempus instituit, quo quum carissimo patri ad altiora studia colenda satis instructus visus essem, in hanc Academiam abii. Factum id est anno MDCCCLXXXIV. sub autumnum Rectore WENKIO, a quo in ciuium academicorum album sum relatus. Vt studiorum in curriculo academico haberem quasi praemonstratorem, adiunxerat mihi pater optimus FRIDERICVM AVGVSTVM LEONEM, cuius eximiam tum erga me amicitiam, tum de rebus meis curam ac vigilantiam, non modo hic meritis laudibus efferre, sed etiam semper grata memoria colere debeo. Quum igitur meum consilium esset, vt earum rerum scientiam mihi compararem, quibus ditatus vtilem aliquando

me

me ciuem patriae possem praestare, non Iurisprudentiae tantum, sed etiam Philosophiae, Matheseos, Historiae ac Philologiae studiis operam impendi. Doctores et Praeceptores quos audiui, et quibus me in perpetuum deuinctum agnosco, hi fuerunt: In Logica et Metaphysica PLATNERVS et CAESAR; in morali doctrina MORVS, in disciplinis mathematicis HINDENBURGIUS, in historicis et Statisticis WENKIVS, BECKIVS, ARNDIVS et WIELANDIVS; in politicis, oeconomicis, et cameralibus, ROESSIGIVS; in philologia latina, REYZIVS et BECKIVS; in iure naturae et iure publico vniuersali WIELANDIVS; in iure ciuili romano SCHOTTVS, BIENERVS, IVNGHANSIVS; in iure criminali, germanico, canonico, et in processu causarum agendarum SCHOTTVS, in iure feudali RAVIVS; in iure publico Germaniae ARNDIVS; in iure Saxonico KINDIVS maior.

Hi itaque singuli viri integra fide doctores praepceptoresque ei fuere, sed ipse etiam illis talis discipulus, qui omnem scientiae ambitum, quam tradebant, auide ac plene hauriret, et quasi deuoraret, vnde etiam euenit, vt talem sibi doctrinam atque eruditionem compararet, qua instructus esset et aptus ad rempublicam capeffendam. Sed vnde hoc scimus? Scimus ex eo, quod ante paucos dies Comes Illustrissimus Collegium nostrum adiit, atque vt, quantum profecerit in iure? examinando periculum faceremus, petiit. Annuimus voto, et instituto per aliquot horas examine, comperimus, eum in singulis iurisprudentiae partibus sic versatum esse, vt ipsum nec Doctoris titulo, si placeret, indignum iudicaretur. Hanc

xx

igitur partam sibi scientiam, hos cum laude ac gloria perfectos academicos annos, hunc denique ipsi exinde euenientem omnium bonorum ciuium applausum ipsi gratulamur. Gratulamur etiam summis parentibus iustam ex hoc filio captam laetitiam, quam subinde ipso ad publica munia progressuro auctam fore, auguramur. Ista vero vt neminem lateant, hanc publicam tabulam suspendi nostroque sigillo muniri curauimus. Script. Lipsiae Dom. XXV. p. F. Trinit. CIOIOCCCLXXXVII.

EX OFFICINA SAALBACHIA



ULB Halle

3

003 335 402




St.

1078







14907

1787/3.

1787

ORDINARIUS
SENIOR CETERIQUE ASSESSORES
FACULTATIS IURIDICAE
LIPSIENSIS
LAUDABILITER SUPERATUM EXAMEN
ILLVSTRISSIMI DOMINI
IO. ADOLPHI, S. R. I. COMITIS
DE LOSS
PUBLICE TESTANTUR
IN EST
COROLLARIUM IURIS CRIMINALIS
VICESIMUM SECUNDUM

